

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS

COMMUNICATIONES

VOL. XXXV - N. 2

2003

COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 2

Semestrale

DECEMBRIS 2003

Sped. Abb. Postale - 50% Roma

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Allocutio ad quosdam Philippinae Episcopos Limina Apostolorum visitantes	149
Ex Adhortatione Apostolica post-synodali <i>Pastores Gregis</i>	152

EX ACTIS CONSILII

Adnotatio circa validitatem matrimoniorum civilium quae in Cazastania sub communi- starum regimine celebrata sunt	197
QUAESTIONES QUAEDAM STUDIO PONTIFICII CONSILII SUBMISSAE	211
RELATIONES CUM IURIS CANONICI STUDIO	213
PONTIFICII CONSILII PUBLICATIONES	213

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI

Considerazioni circa i progetti di riconoscimento legale delle unioni tra persone omo- sessuali	214
--	-----

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

Coetus studiorum « De Locis et de Temporibus Sacris » (Sessio IV)	224
Schema Canonum « De Locis et de Temporibus Sacris deque Cultu Divino »	251
Coetus studiorum « De Locis et de Temporibus Sacris » - Series Altera (Sessio I) . . .	270
NOTITIAE	297
OPERA A CONSILII BIBLIOTHECA RECEPTA	299
INDEX GENERALIS	301

PONTIFICIA COMMISSIO
CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

SCHEMA CANONUM LIBRI IV

DE ECCLESIAE MUNERE SANCTIFICANDI

PARS II

DE LOCIS ET TEMPORIBUS SACRIS DEQUE CULTU DIVINO¹

PRAENOTANDA

Schema quod a Pontificia Commissione Codici Iuris Canonici recognoscendo sub titulo « De locis et de temporibus sacris deque cultu divino » proponitur, materiam comprehendit quae in Lib. III, pars II et III CIC habetur.

In ordinatione systematica novi Codicis, prout iam adumbrata est, haec materia erit pars II Libri IV, qui « De Ecclesiae munere sanctificandi » inscribitur. In parte I huius libri, enim, de sacramentis et de sacramentalibus agetur, praemissis tamen canonibus quibusdam generalibus totam materiam Libri IV respicientibus.

Ut legenti primo apparet, in novo schemate plures canones imo et quidam tituli omittuntur qui in vigenti Codice prostant, ita ut tota materia in 72 tantum canones distributa sit. Mens Commissionis fuit ut in novo Codice non retineantur normae liturgicae, nisi quae peculiarem rationem disciplinarem induant, quarum observantia exigitur non solum ad cultum rite ordinandum sed etiam et praecipue ad ordinem externum Ecclesiae fovendum. Cum enim totus complexus legum liturgicarum post Concilium Vaticanum II funditus recognitus sit, non est ratio eandem recognitionem in novo Codice proponendi.

Commissio praeterea opportunum censuit non paucas normas omittere, quae in vigenti Codice habentur, vel quia materias tangunt quae melius a iure particulari videri possunt, vel quia, dignitate legum carentes,

¹ Typis Polyglottis Vaticanis MCMLXXVII.

cum normas minutas dent, aptius disponi possunt per ordinationes peculiare a competentibus organis editas. Hoc sane modo Commissio principium subsidiariorum secuta est, secundum indicationes quae habentur in *Principia quae Codicis Iuris Canonici recognitionem dirigant* a Synodo Episcoporum approbata.

Præsens schema tres sectiones habet, scilicet de locis sacris, de temporibus sacris, de culto divino.

DE LOCIS SACRIS

Ad notionem « Ecclesiae » quod attinet non amplius sustinetur distinctio ecclesiarum inter et oratoria publica, quae distinctio in Codice vigenti tantummodo a fine originario erectionis aedium desumitur; qua de causa utraque in novo schemate sub nomine « ecclesiae » veniunt (can. 8).

« Oratorii » nomen autem designat locum divino cultui, in commodum alicuius communitatis vel coetus fidelium eo convenientium, de licentia Ordinarii, destinatum, ad quem etiam alii fideles de consensu Superioris accedere possunt (can. 17). Nomen autem « sacelli privati » intelligendus est locus divino cultui, in commodum unius vel plurium personarum physicarum destinatus (can. 18).

Normae quae de his locis dantur disciplinam vigentem fere semper repetunt, parvis inductis mutationibus.

Titulus omnino novus introducitur in quo et notio et normae peculiare dantur de sanctuariis (cann. 24-27).

Ad sepulturam ecclesiasticam et coemeteria quod attinet, paucae tantum normae generales dantur, quae valorem universalem habere videntur, quaeque hodiernis conditionibus et moribus aptari possint.

De crematione cadaveris norma datur iuxta Instr. S. C. pro Doctrina Fidei diei 5 iulii 1963 (AAS 56, 1964, 822-823) (can. 28, § 3).

De cadaveris translatione ad ecclesiam, funere ac depositione Commissio censuit normas dandas esse quae hodiernis rerum adiunctis respondeant (cann. 33-38). Si enim mens est ut sic dicta « iura stolae » supprimantur in Ecclesia, celebratio funeris ut servitium magis onerosum quam frugiferum erit, ita ut iam non normae dari debent eum praesertim in finem clare determinandi iura ecclesiarum circa taxas vel eleemosinas occasione funerum de more solvendas, sed potius eum in finem ut determinetur quatenam ecclesia *officio* funerandi teneatur.

Quoad exequiarum ecclesiasticarum denegationem, magis congruum visum est criterium generale statuere quod nititur ratione scandali publici, ita ut exequiis ecclesiasticis privandi sint, nisi ante mortem aliqua dederint paenitentiae signa, peccatores quibus eadem exequiae non sine fidelium scandalo concedi possunt. Ideo nullus index casuum huiusmodi peccatorum praebetur (can. 40).

DE TEMPORIBUS SACRIS

Normae quae de temporibus sacris in schemate proponuntur novitates non paucas continent, sive quia per recentiora documenta S. Sedis plures mutationes inductae iam sunt, sive quia contextus socialis et mores populorum ita evolvuntur ut leges flexibiliores in hac materia opportuna videantur, quae opportunitatem praebeant pastoribus interveniendi secundum varias circumstantias. Qua de causa index festorum de praecepto in iure communi reductus est ad dies qui de facto in universa Ecclesia sub praecepto servari possunt et debent, facultate concessa Episcoporum Conferentiis determinandi quinam alii dies festi in suo territorio sub praecepto servandi sint (can. 45). Item quoad requiem festivam, loco enumerationis operum prohibitorum, aptior visa est norma ex requiei finibus definita, ut scilicet christifideles abstineant ab illis operibus et negotiis quae cultum Deo reddendum, laetitiam diei Domini propriam, aut debitam mentis et corporis relaxationem impediunt (can. 46). Hoc modo lex congruere videtur hodiernis moribus socialibus necnon conditionibus oeconomicis simulque arceri videtur illa casuistica scrupulosa quam enumeratio operum prohibitorum taxativa fovere solebat. Circa praeceptum participandi Missae celebrationi diebus festis, proponitur ut illud satisfieri possit sine ulla limitatione *ubicumque legitime celebretur ritu catholico* (can. 47).

De congrua dierum paenitentiae observandorum ratione norma proponitur quae rigidam disciplinam communem sive quoad dies sive quoad formas paenitentiae vitat pro tota Ecclesia; attamen cum committatur Episcoporum Conferentiis ut de his pressius determinent, quaedam indicationes ipsis dantur ut saltem aliqua forma paenitentiae instauretur communis (ieiunium) et aliqui dies item communes pro tota Ecclesia in quantum fieri possit ut dies paenitentiae habeantur (can. 48).

DE CULTU DIVINO

Inter canones generales eminet norma de competentia circa ordinationem librorum liturgicorum, quae unice reservatur S. Sedi et Episcopis ita ut « nemo omnino alius, etiamsi sit sacerdos, quidquam proprio mane in liturgiam addat, demat aut mutet », prout ad litteram dicitur in n. 22 Const. *Sacrosanctum Concilium*, quo redactio canonis 51 schematis fundatur.

De communicatione in sacris cum acatholicis, in hodiernis adiunctis, fieri non potest ut normae nimis fixae constituentur in Codice. Insuper quaestiones quae immediate tangunt administrationem et susceptionem sacramentorum in parte de Sacramentis considerantur. Firmis ideo illis praescriptis circa sacramenta, duo tantum principia heic enuntiantur:

1) Catholici, iusta de causa, adesse possunt cultui liturgico fratrum seiunctorum, vel etiam in ipso aliquam partem habere, servatis tamen his quae ab Ordinario loci vel a Conferentia episcopali statuta sint.

2) Si fratribus seiunctis desunt loca in quibus caeremonias suas rite et digne celebrent, Ordinarius loci usum aedificii catholici vel coemeterii vel templi concedere potest, iuxta normas a Conferentia episcopali statutas (can. 52).

De cultu sanctorum, sacrarum imaginum et reliquiarum paucae et essentielles normae dantur quibus praxis Ecclesiae in tali materia sustinetur, Ordinarii loci ius et officium asseritur curandi rectam devotionem christi-fidelium et de conservatione imaginum et reliquiarum cavetur (cann. 55-58).

De voto et iureiurando mutationes paucae introductae sunt, ut normae exigentiis pastoralibus magis congruant. Ita ex. gr. opportunum visum fuit ut *nulla vota privata* maneant reservata Sedi Apostolicae (cfr. can. 64); propter quaestiones controversas circa obligationem voti tam realis quam mixti relate ad heredes, tantum obligatio emittentis lege urgetur (can. 61).

DE LOCIS ET TEMPORIBUS SACRIS DEQUE CULTU DIVINO

SECTIO I
DE LOCIS SACRIS*Can. 1* (CIC 1154)

Loca sacra ea sunt quae divino cultui fideliumve sepulturae deputantur consecratione vel benedictione quam liturgici libri ad hoc praescribunt.

Can. 2 (CIC 1155)

§ 1. Consecratio alicuius loci, quamquam ad Institutum vitae consecratae exemptum pertinentis, spectat ad Ordinarium territorii in quo locus ipse reperitur, non tamen ad Vicarium Generalem vel ad Vicarium Episcopalem sine speciali mandato; firmo iure S. R. E. Cardinalium consecrandi ecclesiam et altaria sui tituli.

§ 2. Ordinarius territorii, licet caractere episcopali careat, potest cuilibet eiusdem ritus Episcopo licentiam dare consecrationes peragendi in suo territorio.

Can. 3 (CIC 1156)

Ius benedicendi novam ecclesiam, vel oratorium, vel novum coemeterium, si eiusmodi locus pertineat ad clerum saecularem vel ad Institutum vitae consecratae non exemptum, vel ad laicale, spectat ad Ordinarium territorii in quo locus reperitur; si ad Institutum clericale exemptum, ad Moderatorem maiorem; uterque vero potest alium sacerdotem ad hoc delegare.

Can. 4 (CIC 1157)

Non obstante quolibet privilegio, nemo potest ecclesiam oratoriumve consecrare vel benedicere; aut novum coemeterium benedicere, sine Ordinarii consensu.

Can. 5 (CIC 1158)

De peracta consecratione vel benedictione ecclesiae, oratoriive, item-

que de benedictione coemeterii, redigatur documentum, cuius alterum exemplar in Curia dioecesana, alterum in ecclesiae archivo servetur.

Can. 6 (CIC 1159)

§ 1. Consecratio vel benedictio alicuius loci, modo nemini damnum fiat, satis probatur etiam per unum testem omni exceptione maiorem.

§ 2. Si de ea legitime constet, nec consecratio nec benedictio iterari potest.

Can. 7 (CIC 1160)

Auctoritatis ecclesiasticae est propriam potestatem regiminis in locis sacris libere exercere.

TITULUS I DE ECCLESIIS

Can. 8 (CIC 1161)

Ecclesiae nomine intelligitur aedes sacra divino cultui dedicata ad quam omnibus fidelibus ius sit adeundi ad divinum cultum publicum exercendum.

Can. 9 (CIC 1162)

§ 1. Nulla ecclesia aedificetur sine expresso Ordinarii loci consensu scriptis dato quem tamen Vicarius Generalis vel Vicarii Episcopales praestare nequeunt sine mandato speciali.

§ 2. Ordinarius loci consensum ne praebeat nisi, auditis vicinarum ecclesiarum rectoribus, censeat novam ecclesiam bono animarum inservire et media necessaria ad cultum divinum sustentandum non esse defutura.

§ 3. Etiam Instituta vitae consecratae, licet consensum constituendae novae domus in dioecesi vel civitate ab Ordinario loci retulerint, antequam tamen ecclesiam in certo ac determinato loco aedificent, Ordinarii loci licentiam obtinere debent.

Can. 10 (CIC 1163)

Benedicere et imponere primarium ecclesiae lapidem, ad eos spectat, de quibus in can. 3.

Can. 11 (CIC 1169)

§ 1. Cuilibet ecclesiae campanas consecratas vel benedictas esse convenit quibus fideles ad divina officia aliosque religionis actus invitentur, quarumque usus unice subest ecclesiasticae auctoritati.

§ 2. Ecclesiarum campanae ad usus mere profanos adhiberi nequeunt, nisi ex causa necessitatis aut ex licentia Ordinarii aut denique ex legitima consuetudine.

Can. 12 (CIC 1171)

In sacra aede legitime dedicata omnes actus cultus divini perfici possunt, salvis iuribus paroecialibus, privilegiis et legitimis consuetudinibus; Ordinarius autem, praesertim horas sacrarum functionum, potest, iusta de causa, praefinire, dummodo ne agatur de ecclesia quae ad Institutum clericale vitae consecratae exemptum pertineat.

Can. 13 (CIC 1178)

Curent omnes ad quos pertinet, ut in ecclesiis illa munditia servetur, quae domum Dei decet, mediaque securitatis adhibeantur ad bona sacra et pretiosa tuenda atque ab iisdem ecclesiis arceatur quidquid a sanctitate loci absonum sit.

Can. 14 (CIC 1179)

Qui ad aliquam ecclesiam aliumve locum sacrum ad asylum obtinendum confugerint extrahendi non sunt sine assensu competentis auctoritatis ecclesiasticae.

Can. 15 (CIC 1181)

Ingressus in ecclesiam tempore sacrarum functionum sit liber et gratuitus, reprobata qualibet contraria consuetudine.

Can. 16 (CIC 1187)

§ 1. Si qua ecclesia nullo modo ad cultum divinum adhiberi queat et possibilitas non datur eam reficiendi, in usum profanum ab Ordinario loci redigi potest.

§ 2. Item si Ordinarius loci iudicat bono animarum magis proficere ut aliqua ecclesia ad cultum publicum non amplius adhibeatur eam in usum profanum redigere potest, de consensu eorum qui iura in ea sibi legitime vindicant.

TITULUS II

DE ORATORIIS ET DE SACELLIS

Can. 17 (CIC 1188)

Oratorii nomine intelligitur locus divino cultui, in commodum alicuius communitatis vel coetus fidelium eo convenientium, de licentia Ordinarii destinatus, ad quem etiam alii fideles de consensu superioris competentis accedere possunt.

Can. 18 (CIC 1188)

Nomine sacelli privati intelligitur locus divino cultui, in commodum unius vel plurium personarum physicarum, destinatus.

Can. 719 (CIC 1192)

§ 1. Ordinarius licentiam ad constituendum oratorium requisitam ne concedat, nisi prius per se vel per alium oratorium visitaverit et decenter instructum repererit.

§ 2. Data autem licentia, oratorium ad usus profanos converti nequit sine eiusdem Ordinarii auctoritate.

Can. 20 (CIC 1193)

In oratoriis legitime constitutis omnia divina officia functionesve ecclesiasticae celebrari possunt, nisi obstant normae liturgicae aut Ordinarius aliqua exceperit.

Can. 21 (CIC 1189)

Sacella privata S. R. E. Cardinalium et Episcoporum sive residentiarum sive titularium eodem iure quo oratoria reguntur.

Can. 22 (CIC 1195)

Ad missas vel ad functiones ecclesiasticas in sacello privato celebrandas requiritur licentia Ordinarii loci.

Can. 23 (CIC 1196)

Decet ut sacella privata benedictione congrua donentur; debent autem esse divino tantum cultui reservata et ab omnibus domesticis usibus libera.

TITULUS III DE SANCTUARIIS

Can. 24 (novus)

Sanctuarii nomine intelliguntur aedes vel loca sacra divino cultui publice exercendo dicata, ad quae ob peculiarem pietatis causam, v.gr. ob religiosas memorias, ob imaginem sacram ibi veneratam, ob reliquiam insignem ibi asservatam, ob miraculum ibi patratum, fideles, approbante auctoritate ecclesiastica competente, accurrunt.

Can. 25 (novus)

§ 1. Ut sanctuarium dici possit nationale accedere debet approbatio Conferentiae episcopalis; ut dici possit internationale requiritur approbatio Sanctae Sedis.

§ 2. Quod si id exigant rationes loci et frequentia peregrinantium ad sanctuarium, quaedam exemptiones eidem concedi poterunt.

Can. 26 (novus)

§ 1. Ad condenda statuta sanctuarii dioecesani, competens est Ordinarius loci; ad statuta sanctuarii nationalis Conferentia episcopalis; ad statuta sanctuarii internationalis sola S. Sedes.

§ 2. In his statutis determinentur praesertim finis, auctoritas rectoris,

proprietas et administratio bonorum, exclusa qualibet commercii vel negotiationis specie.

Can. 27 (novus)

In sanctuariis suppedientur fidelibus abundantiora media salutis, apte fovendo vitam liturgicam et sacramentalem.

TITULUS IV DE SEPULTURA ECCLESIASTICA

Can. 28 (CIC 1203)

§ 1. Omnes fideles defuncti exequiis ecclesiasticis Deo commendandi sunt.

§ 2. Exequiae seu ritus sacri quibus Ecclesia defunctis spiritualem opem impetrat simulque vivis spei solacium affert, celebrandae sunt iuxta modum, quem, ad normam legum liturgicarum, Conferentia episcopalis regionis statuerit.

§ 3. Illis etiam qui proprii cadaveris cremationem elegerint, nisi constet ipsos talem electionem fecisse rationibus ductos christianae vitae adversis, concedendi sunt exequiarum ecclesiasticarum ritus, eo tamen modo celebrati ut non lateat Ecclesiam consuetudinem corpora sepiendi antepone, vitatoque periculo scandali.

Can. 29 (novus)

In celebratione exequiarum, praeter distinctionem ex Ordine sacro manantem, nulla personarum in caeremoniis habeatur acceptio.

Caput I *De Coemeteriis*

Can. 30 (CIC 1205)

§ 1. Coemeteria Ecclesiae propria, ubi fieri potest, habeantur, vel saltem spatia in coemeteriis civilibus fidelibus defunctis destinata, alterutra rite benedicenda.

§ 2. Si vero hoc obtineri nequeat, toties quoties singuli tumuli rite benedicantur.

§ 3. In ecclesiis cadavera ne sepeliantur nisi agatur de cadaveribus Romani Pontificis aut S. R. E. Cardinalium vel Episcoporum residentialium et olim residentialium in propria ecclesia sepeliendis.

Can. 31 (CIC 1206)

Ius est catholicae Ecclesiae possidendi propria coemeteria.

Can. 32 (CIC 1208)

§ 1. Paroeciae et Instituta vitae consecratae coemeterium proprium habere possunt.

§ 2. Etiam aliis personis iuridicis vel familiis privatis permitti potest ab Ordinario loci peculiare sepulcrum rite benedictum.

§ 3. Quoad praedictorum iurium exercitium provideat ius particulare.

Caput II

De cadaveris translatione ad ecclesiam, funere ac depositione

Can. 33 (CIC 1215-1218)

§ 1. Funus pro quolibet fidei defuncto pro regula in propriae paroeciae ecclesia celebrari debet.

§ 2. Fas est autem cuilibet fidei, vel iis quibus fidelis defuncti exequias curare competit, aliam ecclesiam funeris eligere, dummodo consensus rectoris legitime accedat.

§ 3. Si extra propriam paroeciam mors acciderit, neque cadaver ad eam translatum fuerit, neque aliqua ecclesia funeris legitime electa, exequiae celebrentur in ecclesia iure particulari designanda.

Can. 34 (CIC 1219)

Exequiae Episcopi residentialis defuncti in propria ecclesia cathedrali celebrentur, nisi aliam ecclesiam elegerit.

Can. 35 (CIC 1221)

Exequiae sodalium Institutorum vitae consecratae eorumque qui cum illis stabiliter commorantur fiant ad normam constitutionum.

Can. 36 (CIC 1223)

§ 1. Si paroecia habet proprium coemeterium in eo tumulandi sunt fideles defuncti, nisi aliud coemeterium legitime electum fuerit vel ab ipso defuncto vel ab iis quibus defuncti sepulturam curare competit.

§ 2. Omnibus licet, nisi expresse iure prohibeantur, eligere coemeterium sepulturae, quo in casu in illo sepeliantur cadavera, dummodo consensus accedat superioris a quo coemeterium pendet.

Can. 37 (CIC 1235)

Quamvis fovenda sit fidelium consuetudo oblationes Ecclesiae occasione funerum libere donandi, curent tamen Ordinarii ne ullo modo taxae exigantur; omnibus autem fidelibus defunctis semper exequiae persolvantur iuxta leges liturgicas et Conferentiae episcopalis praescripta.

Can. 38 (CIC 1238)

Expleta tumulatione, minister in libro defunctorum describat nomen et aetatem defuncti, nomen parentum vel coniugis, tempus mortis, quis et quae Sacramenta ministraverit, locum et tempus tumulationis.

Caput III

*De iis quibus sepultura ecclesiastica concedenda est aut deneganda**Can. 39 (CIC 1239)*

§ 1. Omnes fideles et catechumeni defuncti exequiis ecclesiasticis donandi sunt nisi iisdem a iure expresse priverentur.

§ 2. Fratribus seiunctis, qui per baptismum in quadam cum Ecclesia catholica communione constituti sunt, concedi possunt exequiae ecclesiasticae de prudenti loci Ordinarii iudicio.

§ 3. Etiam alii, qui aliquo modo ad Ecclesiam propinqui videbantur, sed antequam baptismum receperint decesserunt, suffragia Ecclesiae, de

prudenti loci Ordinarii iudicio, ad normam legum liturgicarum, recipere possunt.

Can. 40 (CIC 1240)

§ 1. Exequiis ecclesiasticis privandi sunt, nisi ante mortem aliquae derint poenitentiae signa, peccatores quibus eadem non sine publico fidelium scandalo concedi possunt.

§ 2. Occurrente aliquo dubio consulatur loci Ordinarius, cuius iudicio standum est; permanente autem dubio, concedatur ritus exequialis, ita tamen ut removeatur scandalum.

SECTIO II

DE TEMPORIBUS SACRIS

Can. 41 (CIC 1243)

Tempora sacra sunt dies festi; iisque accensentur dies paenitentiae.

Can. 42 (CIC 1244)

Dies festos itemque dies paenitentiae, universae Ecclesiae communes, constituere, transferre, abolere, unius est Supremae Ecclesiasticae Auctoritatis.

Can. 43 (CIC 1245)

Firmo iure Episcoporum dioecesanorum de quo in can. 246 (de Populo Dei), parochus, iusta de causa et secundum Ordinarii loci praescriptiones, potest concedere sive singulis fidelibus, sive singulis familiis dispensationem ab obligatione servandi diem festum vel diem paenitentiae aut commutationem eiusdem in alia pia opera; idque potest etiam Moderator Instituti clericalis vitae consecratae, quoad proprios subditos.

Can. 44 (CIC 1246)

Supputatio diei festi, itemque diei paenitentiae, facienda est a media nocte usque ad mediam noctem, salvo praescripto can. 170 (de Sacramentis) et firma facultate satisfaciendi vespere praecedenti praecepto Missae assistendi, ubi id concessum fuerit.

TITULUS V
DE DIEBUS FESTIS

Can. 45 (CIC 1247)

Praeter diem dominicum, qui in universa Ecclesia uti primordialis dies festus de praecepto servari debet, diem quoque Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi et unam ex sollemnitatibus B. M. V. a Conferentiis episcopalibus designandam, penes eandem Conferentiam episcopalem est determinare quinam alii dies festi in suo territorio sub praecepto servandi sint.

Can. 46 (CIC 1248)

Festis de praecepto diebus Missae celebrationi fideles participant; et abstineant ab illis operibus et negotiis quae cultum Deo reddendum, laetitiam diei Domini propriam, aut debitam mentis ac corporis relaxationem impediunt.

Can. 47 (CIC 1249)

Legi de Missae participando satisfacit qui Missae assistit ubicumque legitime celebratur ritu catholico.

TITULUS VI
DE DIEBUS PAENITENTIAE

Can. 48 (novus)

§ 1. Curent pastores animarum fideles constanter admonere de obligatione qua tenentur omnes paenitentiam agere, eosque hortari ut, toto tempore quadragesimali atque feriis sextis per annum, praesertim feria sexta in passione et morte Christi Iesu actus paenitentiales, inter quos ad exemplum Christi Domini praeeminet ieiunium, corde contrito peragant.

§ 2. Conferentiarum Episcoporum est dies et formas paenitentiae suis regionibus aptatas determinare, fidelibus suis proponere et, ratione habita adiunctorum, easdem praescribere.

Can. 49 (novus)

Episcopi dioecesani peculiare suis dioecesibus seu locis dies festos aut dies paenitentiae possunt, per modum tantum actus, indicare.

SECTIO III DE CULTU DIVINO

Can. 50 (CIC 1256)

Cultus, si deferatur nomine Ecclesiae a personis legitime ad hoc deputatis et per actus ex Ecclesiae institutione exhibendos, dicitur publicus; si minus, privatus.

Can. 51 (CIC 1257)

Apostolicae Sedis est liturgiam ordinare, libros liturgicos necnon eius versiones approbare; idem ius competit Episcopis eorumque coetibus intra limites vero propriae competentiae. Quapropter nemo omnino alius, etiamsi sit sacerdos, quidquam proprio mane in liturgiam addat, demat, aut mutet.

Can. 52 (CIC 1258)

§ 1. Firmis praescriptis canonum 2 et 5 (de Sacramentis), catholici, iusta de causa, adesse possunt cultui liturgico fratrum seiunctorum vel etiam in ipso aliquam partem habere, servatis tamen his quae ab Ordinario loci vel a Conferentia episcopali statuta sint.

§ 2. Si fratribus seiunctis desunt loca in quibus caeremonias suas rite et digne celebrent, Ordinarius loci usum aedificii catholici vel coemeterii vel templi concedere potest, iuxta normas a Conferentia episcopali statutas.

Can. 53 (CIC 1259)

Curent locorum Ordinarii ut orationes et pia exercitia, ea praesertim quae in publico fidelium usu sint, normis Ecclesiae plene congruant.

TITULUS VII
DE CULTU SANCTORUM SACRARUM IMAGINUM
ET RELIQUIARUM

Can. 54 (CIC 1276)

Bonum atque utile est Dei Servos una cum Christo regnantes, suppliciter invocare eorumque reliquias atque imagines venerari; sed prae ceteris filiali devotione Beatissimam Virginem Mariam fideles universi prosequantur.

Can. 55 (CIC 1277)

§ 1. Cultu publico eos tantum Dei servos venerari licet, qui auctoritate Ecclesiae in album Sanctorum vel Beatorum relati sint.

§ 2. Servetur tamen distinctio a lege liturgica constituta inter cultum Sanctorum et Beatorum.

Can. 56 (CIC 1279)

§ 1. Firma maneat praxis in ecclesiis sacras imagines fidelium venerationi proponendi; attamen moderato numero et congruo ordine exponantur, ne populo christiano admirationem inficiant, neve indulgeant devotioni minus rectae.

§ 2. Ordinarii loci ius et officium est curare ut imagines, fidelium venerationi expositae, normis § 1 congruant.

Can. 57 (CIC 1280)

Imagines pretiosae, idest vetustate, arte, aut cultu praestantes, in ecclesiis vel oratoriis fidelium venerationi expositae, si quando reparatione indigeant, numquam restaurentur sine data scriptis licentia ab Ordinario; qui, antequam eam concedat, prudentes ac peritos viros consulat.

Can. 58 (CIC 1281)

Insignes reliquiae aut imagines quae in aliqua ecclesia magna populi veneratione honorentur, nequeunt valide alienari neque in aliam ecclesiam perpetuo transferri sine Apostolicae Sedis permissu.

TITULUS VIII
DE VOTO ET IUREIURANDO

Caput I
De voto

Can. 59 (CIC 1307)

§ 1. Votum, idest promissio deliberata ac libera Deo facta de bono possibili et meliore, ex virtute religionis impleri debet.

§ 2. Nisi iure prohibeantur, omnes congruenti rationis usu pollentes, sunt voti capaces.

§ 3. Votum metu gravi et iniusto emissum ipso iure nullum est.

Can. 60 (CIC 1308)

§ 1. Votum est *publicum*, si nomine Ecclesiae a legitimo Superiore ecclesiastico acceptetur, secus *privatum*.

§ 2. *Sollemne*, si ab Ecclesia uti tale fuerit agnitum; secus, *simplex*.

§ 3. *Reservatum*, cuius dispensationem sola Sedes Apostolica concedere potest.

§ 4. *Personale*, quo actio voventis promittitur; *reale*, quo promittitur res aliqua; *mixtum*, quod personalem et realem naturam participat.

Can. 61 (CIC 1370)

Votum non obligat, ratione sui, nisi emittentem.

Can. 62 (CIC 1311)

Cessat votum lapsu temporis ad finiendam obligationem appositam, mutatione substantiali materiae promissae, deficiente conditione a qua votum pendet aut eiusdem causa finali, suspensione, dispensatione, commutatione.

Can. 63 (CIC 1312)

Qui potestatem in voti materiam habet, potest voti obligationem tantum suspendere, quandiu voti adimplementum sibi praeiudicium afferat.

Can. 64 (CIC 1313)

Vota privata possunt iusta de causa dispensare, dummodo dispensatio ne laedat ius aliis quaesitum:

1° loci Ordinarius quod attinet ad omnes suos subditos atque etiam peregrinos;

2° Moderator Instituti clericalis vitae consecratae iuris pontificii quod attinet ad personas, quae diu noctuque in domo Instituti degunt;

3° ii quibus ab Apostolica Sede delegata fuerit dispensandi potestas.

Can. 65 (CIC 1314)

Opus voto privato promissum potest in melius vel in aequale bonum ab ipso vovente commutari; in minus vero bonum ab illo cui potestas est dispensandi ad normam can. 64.

Can. 66 (CIC 1315)

Vota ante professionem religiosam emissa suspenduntur, donec vovens in Instituto vitae consecratae permanserit.

Caput II

De iureiurando

Can. 67 (CIC 1316)

§ 1. Iusiurandum, idest invocatio Nominis divini in testem veritatis, praestari nequit, nisi in veritate, in iudicio et in iustitia.

§ 2. Iusiurandum quod canones exigunt vel admittunt, per procuratorem praestari valide nequit.

Can. 68 (CIC 1317)

§ 1. Qui libere iurat se aliquid facturum, peculiari religionis obligatione tenetur implendi quod iureiurando firmaverit.

§ 2. Iusiurandum per vim aut metum gravem extortum valet, sed a Superiore ecclesiastico relaxari potest.

§ 3. Iusiurandum nec vi nec dolo praestitum quo quis privato bono aut favori renuntiat lege ipsi concesso servandum est.

Can. 69 (CIC 1318)

§ 1. Iusiurandum promissorium sequitur naturam et conditiones actus cui adiicitur.

§ 2. Si actui directe vergenti in damnum aliorum aut in praeiudicium boni publici iusiurandum adiiciatur, nullam exinde actus consequitur firmitatem.

Can. 70 (CIC 1319)

Obligatio iureiurando promissorio inducta desinit:

1° si remittatur ab eo in cuius commodum iusiurandum emissum fuerat;

2° si res iurata substantialiter mutetur, aut, mutatis adiunctis, fiat sive mala sive omnino indifferens, aut denique maius bonum impediat;

3° deficiente causa finali aut conditione sub qua forte iusiurandum datum sit;

4° suspensione, dispensatione, commutatione, ad normam can. 71.

Can. 71 (CIC 1320)

Qui suspendere, dispensare, commutare possunt votum, tandem potestatem eademque ratione habent circa iusiurandum promissorium; sed si iurisiurandi dispensatio vergat in praeiudicium aliorum qui obligationem remittere recusent, una Apostolica Sedes potest iusiurandum dispensare propter necessitatem aut utilitatem Ecclesiae.

Can. 72 (CIC 1321)

Iusiurandum stricte est interpretandum secundum ius et secundum intentionem iurantis, aut, si hic dolo agat, secundum intentionem illius cui iuratur.

